

26TH LATIN SUMMER SCHOOL

13th-17th JANUARY 2020

Eastern Avenue Building, University of Sydney

LEVEL 2B

Instructor: Alexander Westenberg



Monday

Ademar de Chabannes, *Fabulae*

Ademar was a French monk, composer, historian, and also a forger of literary documents. He is best known for his Latin fables, quasi-translations of Aesop's fables in the long-standing Latin 'Romulus' tradition.

.

MUS URBANUS ET RUSTICUS

Hospitio quondam Mus urbanus exceptus est rustici, et humili glande coenauit. Causam (sic) perfecit. Perduxit precibus post in urbem rusticum, cellamque intrauit plurimo refertam cibo. In qua cum uariis perfruitur, (h)ostiis cellarario repulsis, urbanus nota facile se abscondit cauerna. At miser rusticus ignota trepidat domo, mortemque metuens circa parietes cursitat. Cellararius quae uoluit sustulit clausitque limen. Iterum urbanus rusticam (sic) ad escam hortatur. At ille : Vix possum ualde perterritus. Putasne ueniet ille? Tantum ergo metuens, ait. Haud has tu poteris inuenire delicias. Qui r[es]p[ondit] : Me glans securam pascat et liberam (sic).

Quia melius est in paupertatula sua secum uiuere, quam diuitiarum carpi sollicitudine.

AQUILA ET VULPIS

Vulpinos catulos Aquila rap[uit], et in nid[um], ut pull[is] escam dar[et], apposuit. Vulp[is] Aquil[am] rog[ab]at, ut catulos suos sibi redd[eret]. Aquil[am] contemnens Vulp[em], quasi esset inferior. At Vulp[is] plena dolor[e] ab ara ignem rap[uit] cum facula, et arbor[em] circumd[edit], damnis miscens sanguinem. Aquila, ut a periculo mortis eriperet suos, incolomes natos supplex Vulp[is] reddid[it].

Ut quamuis sublimes sint opibus, tamen humiles metuere debent.

CORVUS ET VULPIS

Coruus cum de fenestra rapta[ss]e]t caseum, et comesse uellet, celsa resedit in arbore. Vulpis, hunc cum fuisset intuita, sic alloqui coepit : O quis tuarum, Corue, pennarum uigor est? Si uocem haberes latiore, nulla auium prior adesset tibi. Ille, dum uult ostendere uocem latiore, emisit caseum; quem celeriter dolosa Vulpis auide dentibus rapuit. Tunc demum Coruus ingemuit, quia dolo esset deceptus, ut ignarus.

Qui se laudari uerbis subdolis gaudent, ferunt pennas (sic pro poenas) turpi poenitentia indiscretas.

.

Gaius Plinius Caecilius Secundus (Plinius Minor), *Epistulae*

Pliny is probably the most famous letter-writer of Roman times. His letters are valuable not just as a model for literary style, but for the historical matter that many of them contain. Those below, however, are chosen for their more amicable, personal quality.

I, 15

C. PLINIUS SEPTICIO CLARO SUO S.

1 Heus tu! Promittis ad cenam, nec venis? Dicitur ius: ad assem impendium reddes, nec id modicum. 2 Paratae erant lactucae singulae, cochleae ternae, ova bina, halica cum mulso et nive — nam hanc quoque computabis, immo hanc in primis quae perit in ferculo -, olivae betacei cucurbitae bulbi, alia mille non minus lauta. Audisses comoedos vel lectorem vel lyristen vel — quae mea liberalitas — omnes. 3 At tu apud nescio quem ostrea vulvas echinos Gaditanas maluisti. Dabis poenas, non dico quas. Dure fecisti: invidisti, nescio an tibi, certe mihi, sed tamen et tibi. Quantum nos lusissemus risissemus studuissemus! 4 Potes apparatus cenare apud multos, nusquam hilarius simplicius incautius. In summa experire, et nisi postea te aliis potius excusaveris, mihi semper excusa. Vale.

VII, 27

C. PLINIUS SURAE SUO S.

1 Et mihi discendi et tibi docendi facultatem otium praebet. Igitur perquam velim scire, esse phantasmata et habere propriam figuram numenque aliquod putes an inania et vana ex metu nostro imaginem accipere. 2 Ego ut esse credam in primis eoducor, quod audio accidisse Curtio Rufo. Tenuis adhuc et obscurus, obtinenti Africam comes haeserat. Inclinato die spatiabatur in porticu; offertur ei mulieris figura humana grandior pulchriorque. Perterrito Africam se futurorum praenuntiam dixit: iturum enim Romam honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio

in eandem provinciam reversurum, ibique moriturum. 3 Facta sunt omnia. Praeterea accedenti Carthaginem egredientique nave eadem figura in litore occurrisset narratur. Ipse certe implicitus morbo futura praeteritis, adversa secundis auguratus, spem salutis nullo suorum desperante proiecit.

4 Iam illud nonne et magis terribile et non minus mirum est quod exponam ut accipi? 5 Erat Athenis spatiosa et capax domus sed infamis et pestilens. Per silentium noctis sonus ferri, et si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde e proximo reddebatur: mox apparebat idolon, senex macie et squalore confectus, promissa barba horrenti capillo; cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque. 6 Inde inhabitantibus tristes diraeque noctes per metum vigilabantur; vigiliam morbus et crescente formidine mors sequebatur. Nam interdum quoque, quamquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat, longiorque causis timoris timor erat. Deserta inde et damnata solitudine domus totaque illi monstro relicta; proscribatur tamen, seu quis emere seu quis conducere ignarus tanti mali vellet. 7 Venit Athenas philosophus Athenodorus, legit titulum auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus omnia docetur ac nihilo minus, immo tanto magis conducit. Ubi coepit advesperascere, iubet sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares stilum lumen, suos omnes in interiora dimittit; ipse ad scribendum animum oculos manum intendit, ne vacua mens audita simulacra et inanes sibi metus fingeret. 8 Initio, quale ubique, silentium noctis; dein concuti ferrum, vincula moveri. Ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed offirmare animum auribusque praetendere. Tum crebrescere fragor, adventare et iam ut in limine, iam ut intra limen audiri. Respicit, videt agnoscitque narratam sibi effigiem. 9 Stabat innuebatque digito similis vocanti. Hic contra ut paulum expectaret manu significat rursusque ceris et stilo incumbit. Illa scribentis capiti catenis insonabat. Respicit rursus idem quod prius innuentem, nec moratus tollit lumen et sequitur. 10 Ibat illa lento gradu quasi gravis vinculis. Postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit comitem. Desertus herbas et folia concerpta

signum loco ponit. 11 Postero die adit magistratus, monet ut illum locum effodi iubeant. Inveniuntur ossa inserta catenis et implicata, quae corpus aevo terraque putrefactum nuda et exesa reliquerat vinculis; collecta publice sepeliuntur. Domus postea rite conditis manibus caruit.

12 Et haec quidem affirmantibus credo; illud affirmare aliis possum. Est libertus mihi non illitteratus. Cum hoc minor frater eodem lecto quiescebat. Is visus est sibi cernere quendam in toro residentem, admoventemque capiti suo cultros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Ubi illuxit, ipse circa verticem tonsus, capilli iacentes reperiuntur. 13 Exiguum temporis medium, et rursus simile aliud priori fidem fecit. Puer in paedagogio mixtus pluribus dormiebat. Venerunt per fenestras — ita narrat — in tunicis albis duo cubantemque detonderunt et qua venerant recesserunt. Hunc quoque tonsum sparsosque circa capillos dies ostendit. 14 Nihil notabile secutum, nisi forte quod non fui reus, futurus, si Domitianus sub quo haec acciderunt diutius vixisset. Nam in scrinio eius datus a Caro de me libellus inventus est; ex quo coniectari potest, quia reis moris est summittere capillum, recisos meorum capillos depulsi quod imminebat periculi signum fuisse.

15 Proinde rogo, eruditionem tuam intendas. Digna res est quam diu multumque consideres; ne ego quidem indignus, cui copiam scientiae tuae facias. 16 Licet etiam utramque in partem — ut soles — disputes, ex altera tamen fortius, ne me suspensum incertumque dimittas, cum mihi consulendi causa fuerit, ut dubitare desinerem. Vale.

Tuesday

Lucus Anneus Seneca (Seneca), *Epistulae*

Seneca (~4 BC – 55/56 AD) was a Stoic philosopher, a poet, a politician, and tutor to the Emperor Nero. After retiring from politics he wrote a number of letters, dialogues, and plays, before killing himself to avoid capture when he was implicated in a plot to overthrow the emperor, his former student.

L. ANNAEI SENECAE

EPISTULARUM MORALIUM AD LUCILIUM LIBER SECUNDUS

XIII. SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

[1] Multum tibi esse animi scio; nam etiam antequam instrueres te praeceptis salutaribus et dura vincentibus, satis adversus fortunam placebas tibi, et multo magis postquam cum illa manum conseruisti viresque expertus es tuas, quae numquam certam dare fiduciam sui possunt nisi cum multae difficultates hinc et illinc apparuerunt, aliquando vero et propius accesserunt. Sic verus ille animus et in alienum non venturus arbitrium probatur; haec eius obrussa est. [2] Non potest athleta magnos spiritus ad certamen afferre qui numquam suggillatus est: ille qui sanguinem suum vidit, cuius dentes crepuere sub pugno, ille qui subplantatus adversarium toto tulit corpore nec proiecit animum proiectus, qui quotiens cecidit contumacior resurrexit, cum magna spe descendit ad pugnam. [3] Ergo, ut similitudinem istam prosequar, saepe iam fortuna supra te fuit, nec tamen tradidisti te, sed subsiluisti et acrior constitisti; multum enim adicit sibi virtus lacessita.

Tamen, si tibi videtur, accipe a me auxilia quibus munire te possis. [4] Plura sunt, Lucili, quae nos terrent quam quae premunt, et saepius opinione quam re laboramus. Non loquor tecum Stoica lingua, sed hac summissiore; nos enim dicimus omnia ista quae gemitus mugitusque exprimunt levia esse et contemnenda.

Omittamus haec magna verba, sed, di boni, vera: illud tibi praecipio, ne sis miser

ante tempus, cum illa quae velut imminetia expavisti fortasse numquam ventura sint, certe non venerint. [5] Quaedam ergo nos magis torquent quam debent, quaedam ante torquent quam debent, quaedam torquent cum omnino non debeant; aut augemus dolorem aut praecipimus aut fingimus.

Primum illud, quia res in controversia est et litem contestatam habemus, in praesentia differatur. Quod ego leve dixerō tu gravissimum esse contendes; scio alios inter flagella ridere, alios gemere sub colapho. Postea videbimus utrum ista suis viribus valeant an imbecillitate nostra. [6] Illud praesta mihi, ut, quotiens circumsteterint qui tibi te miserum esse persuadeant, non quid audias sed quid sentias cogites, et cum patientia tua deliberes ac te ipse interroges, qui tua optime nosti, 'quid est quare isti me complerent? quid est quod trepident, quod contagium quoque mei timeant, quasi transilire calamitas possit? est aliquid istic mali, an res ista magis infamis est quam mala?' Ipse te interroga, 'numquid sine causa crucior et maereo et quod non est malum facio?' [7] 'Quomodo' inquis 'intellegam, vana sint an vera quibus angor?' Accipe huius rei regulam: aut praesentibus torquemur aut futuris aut utrisque. De praesentibus facile iudicium est: si corpus tuum liberum et sanum est, nec ullus ex iniuria dolor est, videbimus quid futurum sit: hodie nihil negotii habet. [8] 'At enim futurum est.' Primum dispice an certa argumenta sint venturi mali; plerumque enim suspicionibus laboramus, et illudit nobis illa quae conficere bellum solet fama, multo autem magis singulos conficit. Ita est, mi Lucili: cito accedimus opinioni; non coarguimus illa quae nos in metum adducunt nec excutimus, sed trepidamus et sic vertimus terga quemadmodum illi quos pulvis motus fuga pecorum exiit castris aut quos aliqua fabula sine auctore sparsa conterruit. [9] Nescio quomodo magis vana perturbant; vera enim modum suum habent: quidquid ex incerto venit coniecturae et paventis animi licentiae traditur. Nulli itaque tam perniciosi, tam inrevocabiles quam lymphatici metus sunt; ceteri enim sine ratione, hi sine mente sunt. [10] Inquiramus itaque in rem diligenter. Verisimile est aliquid futurum mali: non statim verum est. Quam multa non

exspectata venerunt! quam multa exspectata nusquam comparuerunt! Etiam si futurum est, quid iuvat dolori suo occurrere? satis cito dolebis cum venerit: interim tibi meliora promitte. [11] Quid facies lucri? tempus. Multa intervenient quibus vicinum periculum vel prope admotum aut subsistat aut desinat aut in alienum caput transeat: incendium ad fugam patuit; quosdam molliter ruina deposuit; aliquando gladius ab ipsa cervice revocatus est; aliquis carnifici suo superstes fuit. Habet etiam mala fortuna levitatem. Fortasse erit, fortasse non erit: interim non est; meliora propone. [12] Nonnumquam, nullis apparentibus signis quae mali aliquid praenuntient, animus sibi falsas imagines fingit: aut verbum aliquod dubiae significationis detorquet in peius aut maiorem sibi offensam proponit alicuius quam est, et cogitat non quam iratus ille sit, sed quantum liceat irato. Nulla autem causa vitae est, nullus miseriarum modus, si timetur quantum potest. Hic prudentia prosit, hic robore animi evidentem quoque metum respue; si minus, vitio vitium repelle, spe metum tempera. Nihil tam certum est ex his quae timentur ut non certius sit et formidata subsidere et sperata decipere. [13] Ergo spem ac metum examina, et quotiens incerta erunt omnia, tibi fave: crede quod mavis. Si plures habebit sententias metus, nihilominus in hanc partem potius inclina et perturbare te desine ac subinde hoc in animo volve, maiorem partem mortalium, cum illi nec sit quicquam mali nec pro certo futurum sit, aestuare ac discurrere. Nemo enim resistit sibi, cum coepit impelli, nec timorem suum redigit ad verum; nemo dicit 'vanus auctor est, vanus [est]: aut finxit aut credidit'. Damus nos aerae ferendos; expavescimus dubia pro certis; non servamus modum rerum, statim in timorem venit scrupulus.

[14] Pudet me +ibi+ sic tecum loqui et tam lenibus te remediis foculare. Alius dicat 'fortasse non veniet': tu dic 'quid porro, si veniet? videbimus uter vincat; fortasse pro me venit, et mors ista vitam honestabit'. Cicuta magnum Socratem fecit. Catoni gladium assertorem libertatis extorque: magnam partem detraxeris gloriae. [15] Nimium diu te cohortor, cum tibi admonitione magis quam exhortatione opus sit.

Non in diversum te a natura tua ducimus: natus es ad ista quae dicimus; eo magis bonum tuum auge et exorna.

[16] Sed iam finem epistulae faciam, si illi signum suum in pressero, id est aliquam magnificam vocem perferendam ad te mandavero. 'Inter cetera mala hoc quoque habet stultitia: semper incipit vivere.' Considera quid vox ista significet, Lucili virorum optime, et intelleges quam foeda sit hominum levitas cotidie nova vitae fundamenta ponentium, novas spes etiam in exitu inchoantium. [17] Circumspice tecum singulos: occurrent tibi senes qui se cum maxime ad ambitionem, ad peregrinationes, ad negotiandum parent. Quid est autem turpius quam senex vivere incipiens? Non adicerem auctorem huic voci, nisi esset secretior nec inter vulgata Epicuri dicta, quae mihi et laudare et adoptare permisi. Vale.

Wednesday

Queen Elizabeth I of England

Queen Elizabeth was taught Latin by the famous classicist Roger Ascham, who was considered to be one of the finest scholars of his day. His approach to teaching was, coincidentally, very similar to that of class 2B... Queen Elizabeth could speak Latin fluently by the age of 15, and gave the speech below extemporaneously in reply to the objection of the Polish ambassador that she was interfering with his country. It shows an impressive skill not just in Latin itself, but in the art of oratory.

ELIZABETH I'S LATIN REPLY TO THE POLISH AMBASSADOR

Eh, quam decepta fui, expectavi legationem, tu vero querelam mihi adduxisti. per literas accepi te esse Legatum, vero Heraldum; nunquam in vita mea audivi talem orationem, miror sane, miror tantam, et tam insolentem in publico audaciam, neque possum credere si rex tuus adesset quod ipse talia verba protulisset, qui vero tale aliquid tibi fortasse in mandatis commisit (quod quidem valde dubito) eo tribuendum, quod cum rex sit iuvenis, et non tam iure sanguinis, quam iure electionis, et noviter electus, non tam perfecte intelligat rationem tractandi istiusmodi negotia cum aliis principibus, quam vel maiores illius nobiscum observarunt, vel fortasse observaberunt ahi qui posthac eius locum tenebunt. Quod ad te attinet, tu mihi videris libros multos perlegisse, libros tamen principum non attigisse: sed prorsus ignorare quod inter reges convenerit, iam quod iuris naturae et gentium tantopere mentionem facis, scito esse iuris naturae gentiumque: ut cum bellum inter reges intercedat, liceat alteri alterius bellica subsidia, undicunque allata intercipere, et ne in damnum suum convertantur precavere: hoc, inquam, esse iuris naturae et gentium. Quod novam affinitatem cum domo Austriaca commemores, quam tanti iam fieri velis, non te fugiat, ex eadem domo non defuisse,

qui regi tuo poloniae regnum preripere voluisset. De caeteris quae non sunt huius loci et temporis, cum plura sint, et singulatim consideranda, illud expectabis quod ex quibusdam meis consiliariis huius rei designandis, intellige. Interea vero valeas & quiescas.

Marcus Valerius Martialis (Martial), *Epigrammaton Libri*

Martial (born between 38 and 41 AD and died between 102 and 104 AD) was a Roman poet from the Iberian peninsula (modern-day Spain and Portugal). He was best known for a series of twelve books of epigrams, a collection of short, witty, often satirical and bitter poems mocking Roman life and practice. As this first couplet indicates, he was not above personal jibes.

12; LXXXVIII

Tongilianus habet nasum: scio, non nego. Sed iam

Nil praeter nasum Tongilianus habet.

12; X

Habet Africanus miliens, tamen captat.

Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

11; LXVI

Et delator es et calumniator,

et fraudator es et negotiator,

et fellator es et lanista. Miror

quare non habeas, Vacerra, nummos.

10; LXI

Hic festinata requiescit Erotion umbra,

 Crimine quam fati sexta peremit hiems.

Quisquis eris nostri post me regnator agelli,

 Manibus exiguis annus iusta dato:

Sic lare perpetuo, sic turba sospite solus

 Flebilis in terra sit lapis iste tua.

12; XXXIV

Triginta mihi quattuorque messes

Tecum, si memini, fuere, Iuli.

Quarum dulcia mixta sunt amaris,

Sed iucunda tamen fuere plura;

Et si calculus omnis huc et illuc 5

Diversus bicolorque digeratur,

Vincet candida turba nigriorem.

Si vitare velis acerba quaedam

Et tristis animi cavere morsus,

Nulli te facias nimis sodalem: 10

Gaudebis minus et minus dolebis.

Thursday

Cornelius Nepos, *Life of Chabrias*

Nepos (c. 110-25 BC) was a Roman historian, born near Verona in Gaul (roughly modern-day France). He was a good friend of the famous Roman poet Catullus, who dedicated his poems to Nepos (along with Cicero and Atticus). Almost all his works are lost, but we have a collection of 'Lives' in which he gives the histories of a number of great men from history. This piece is on the Athenian general, whom Nepos calls 'the last great general' of Athens.

[1] TIMOTHEUS, Cononis filius, Atheniensis. Hic a patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus. Fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus neque minus civitatis regendae. 2 Multa huius sunt praeclare facta, sed haec maxime illustria. Olynthios et Byzantios bello subegit. Samum cepit; in quo oppugnando superiori bello Athenienses mille et CC talenta consumpserant, id ille sine ulla publica impensa populo restituit; adversus Cotum bella gessit ab eoque mille et CC talenta praedae in publicum rettulit. Cyzicum obsidione liberavit. 3 Ariobarzani simul cum Agesilao auxilio profectus est; a quo cum Laco pecuniam numeratam accepisset, ille civis suos agro atque urbibus augeri maluit quam id sumere, cuius partem domum suam ferre posset.

[2] Itaque accepit Crithoten et Sestum. Idem classi praefectus, circumvehens Peloponnesum Laconicem populatus, classem eorum fugavit, Corcyram sub imperium Atheniensium redegit, sociosque idem adiunxit Epirotas, Athamanas, Chaonas omnesque eas gentes, quae mare illud adiacent. 2 Quo facto Lacedaemonii de diutina contentione destiterunt et sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt pacemque his legibus constituerunt, ut Athenienses mari duces essent. Quae victoria tantae fuit Atticis laetitiae, ut tum primum arae Paci publice sint factae eique deae pulvinar sit institutum. 3 Cuius laudis ut memoria maneret, Timotheo publice statuam in foro posuerunt. Qui honos huic uni ante id tempus contigit, ut, cum patri

populus statuam posuisset, filio quoque daret. Sic iuxta posita regens filii veterem patris renovavit memoriam.

[3] Hic cum esset magno natu et magistratus gerere desisset, bello Athenienses undique premi sunt coepti. Defecerat Samus, descierat Hellespontus, Philippus iam tum valens, Macedo, multa moliebatur; cui oppositus Chares cum esset, non satis in eo praesidii putabatur. 2 Fit Menestheus praetor, filius Iphicratis, gener Timothei, et ut ad bellum proficiscatur, decernitur. Huic in consilium dantur viri duo usu sapientiaque praestantes, [quorum consilio uteretur] pater et socer, quod in his tanta erat auctoritas, ut magna spes esset per eos amissa posse recuperari. 3 Hi cum Samum profecti essent et eodem Chares illorum adventu cognito cum suis copiis proficisceretur, ne quid absente se gestum videretur, accidit, cum ad insulam appropinquarent, ut magna tempestas oriretur; quam evitare duo veteres imperatores utile arbitrati suam classem suppresserunt. 4 At ille temeraria usus ratione non cessit maiorum natu auctoritati, velut in sua manu esset fortuna. Quo contenderat, pervenit, eodemque ut sequerentur, ad Timotheum et Iphicratem nuntium misit. Hinc male re gesta, compluribus amissis navibus eo, unde erat profectus, se recipit litterasque Athenas publice misit, sibi proclive fuisse Samum capere, nisi a Timotheo et Iphicrate desertus esset. 5 Populus ater, suspicax ob eamque rem mobilis, adversarius, invidus - etiam potentiae in crimen vocabantur - domum revocat: accusantur prodicionis. Hoc iudicio damnatur Timotheus, lisque eius aestimatur centum talentis. Ille odio ingratae civitatis coactus Chalcidem se contulit.

[4] Huius post mortem cum populum iudicii sui paeniteret, multae novem partis detraxit et decem talenta Cononem, filium eius, ad muri quandam partem reficiendam iussit dare. In quo fortunae varietas est animadversa. Nam quos avus Conon muros ex hostium praeda patriae restituerat, eosdem nepos cum summa ignominia familiae ex sua re familiari reficere coactus est. 2 Timothei autem moderatae sapientisque vitae cum pleraque possimus proferre testimonia, uno erimus contenti, quod ex eo facile conici poterit, quam carus suis fuerit.

Cum Athenis adulescentulus causam diceret, non solum amici privatique hospites ad eum defendendum convenerunt, sed etiam in eis Iason, tyrannus Thessaliae, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. 3 Hic cum in patria sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo praesidio venit tantique hospitem fecit, ut mallet se capitis periculum adire quam Timotheo de fama dimicanti deesse. Hunc adversus tamen Timotheus postea populi iussu bellum gessit, patriae sanctiora iura quam hospitii esse duxit. 4 Haec extrema fuit aetas imperatorum Atheniensium, Iphicratis, Chabriae, Timothei: neque post illorum obitum quisquam dux in illa urbe fuit dignus memoria. 5 Venio nunc ad fortissimum virum maximique consilii omnium barbarorum exceptis duobus Carthaginiensibus, Hamilcare et Hannibale. 6 De quo hoc plura referemus, quod et obscuriora sunt eius gesta pleraque et ea, quae prospere ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilii, quo tum omnes superabat, acciderunt; quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt.

Friday

A bit of fun

People often find the task of speaking Latin to be rather daunting, but an easy start can be made in only a few minutes, using the techniques below. They aren't perfect, but they are perfect for beginning to speak Latin and overcoming the hurdle of overthinking.

Greetings

Salve – hello (one person)

Salvete – hellow (more than one person)

Ut vales?/quid agis? – how are you?

Satis bene – well enough

Male – badly

Gratias tibi ago – thank you

Talking about the present

*You can speak about almost anything by simply replacing **cenare** with the infinitive of the verb you want.*

Conor **cenare** (I'm trying to have dinner; i.e. 'I'm having dinner')

Conaris **cenare** (you're having dinner)

Conatur **cenare** (he/she/it is having dinner)

Conamur **cenare** (we are having dinner)

Conamini **cenare** (you people are having dinner)

Conantur **cenare** (they are having dinner)

Talking about the past

Conabar **cenare** (I was trying to have dinner, i.e. 'I was having dinner')

Conabaris **cenare**

Conabatur **cenare**

Conabamur **cenare**

Conabamini **cenare**

Conabantur **cenare**

Talking about the future

Volo **cenare** (I want to have dinner, i.e. 'I'm going to have dinner')

Vis **cenare**

Vult **cenare**

Volumus **cenare**

Vultis **cenare**

Volunt **cenare**

Other useful verbs

Dicere (to say)

Laborare (to work)

Dare (to give)

Prehendere (to take)

Facere (to do/make)

Numerare (to pay)

Edere (to eat)

Bibere (to drink)